

non mancipia, et prospectis rebus nostris, atque dimisso cum Tyrannis Periculo cumque Sciticys Regibus, dum aliunde antemurale simus Austriacorum Principum, hereditatis eos in toto gloriosissimo semine suo, sine discrimine Sexus, iterata voluntate et spontanea, veluti fidelis Populus Regnumque fidele, sequamur subiectione.

Memores sint, repetimus Statibus, summarum illarum atque nouissimarum fidelitatis nostrae Conplacentiarum, quibus nos gloriosissimae reminiscentiae Austriaci Caesares: Leopoldus Primus et Josephus Primus, ferme partialitate quadam Paterna fuere consolati; quam Sacrosanctae libertates nostrae, quod ipsum de pientissimo Carolo et residuo Austriaco sanguine dubitare nefas est, fuerint per eorundem conseruatae et manutentae. Quod si Ludovicus ab Hungaris meruit unicam Filiam suam in Successorem Coronae et Regem praefici, ampliori argumento Augustissima Austriadum Domus a Croata nostra Gente meretur, ut Reginale semen suum in Principes Regni perpetuemus.

Verbo, non erat ... is Augustissime Caesar! quem in intentum istud, in hereditarium utriusque Austriaci Sexus Regiumque Jus Croatiae, Dalmatiae et Sclauoniae, toto nisu totisque uiribus non admouerimus. Deo proinde propitio et Gente nostra, Austriadum Principibus non ultime addicta, quid super eodem merito utriusque Sexus Successionis, in memorata et publica Regni istius Congregatione, singulorum exquisito voto, atque unanimi assensu, concluderimus, adnexus Regni Articulus remonstrabit. Acceptet, Supplicamus, universa Maiestas Vestra Sacratissima ea Clementiae suae teneritudine, qua et nos omnem operam nostram et fideles Status consensum suum impendere. Caeterum nos imprecatis Cordicitus Maiestati Vestrae, Regi nostro Clementissimo, serenissimis pignoribus, victoriis gloriosis, plena incolumitate et felici omnium atque nostrum Gubernio, ad ultimos ipsos Cineres perseueramus. Zagrabiae in Croatia die 15^o Martii 1712. Maiestatis Vestrae Sacratissimae humillimi et iurati Subditi: Emericus Eszterhazy, Episcopus Zagrabiensis. m. p. Comes Joannes Draskovich, Cubiculariorum Regalium Magister et Generalis Vigiliarum Praefectus m. p. Cristophorus Dellissimonovich, Generalis Vigiliarum Praefectus et Supremus Confiniorum Commendans m. p. Georgius Plemich, praefatorum Regnorum Prothonotarius m. p.

A tergo :

Augustissimo, Inuictissimo Carolo, Dei gratia Romanorum Imperatori. Hispaniarum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Regi, Domino et Regi nostro Clementissimo.

Hic adnectimus Aulicae c. r. Deputationis in eodem Merito Suae Caes. Regiae-que Maiestati in germanica lingua substratam Opinionem.

Allergnädigster Kayser und Herr!

Auf Guer f. f. Maiestät allergnädigsten Befehl, hat Dero würfflich geheimber Rath und hofkanzler Baron von Seilern den 27. dieses der engern Conferenz vorgegetragen, was an dieselbe der Cardinal von Sachsen-zeitz vnterm 10. dieses aus Preßburg über den von den Stennden des Königreichs Croatiaen jüngsthin gefassten allgemeinen schluß, daß auf den fall (welchen der Allerhöchste gnädigst abwende) des Absterbens Oesterreichisch